



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

**Comitvm Par Genere, Potentia, Opibvs, Heroicaq. Virtvte
inclytum B. Godefridus, Vuestphalus, S. Romaricus,
Austrasius**

Serarius, Nikolaus

Mogvntiæ

Cap. XII. De morte S. Romarici.

urn:nbn:de:hbz:466:1-37252

vt se suaque omnia sanctæ Apostolicæ sedi subiiceret, eiusdemque patrocínio ac tutelæ suum istud cœnobium, amplissimasque ipsi abs se datas possessiones ac redditus committeret, *Romam* profectus est.

CAP. XII.

De morte S. Romarici.

1. S. l.
c. 7.

1. S. l.
c. 2. l.
c. 5.

Post varios in Domini cultu labores, ætate admodum iam grandis, plenusque dierum, feбри correptus est, cumque ea magis ac magis intenderetur, suos quos spiritu pepererat filios, filiasque omnes ad pietatis, perfectionisque amorem, accuratam religiosæ vitæ normam, in eaque perseverantiam cohortatus, *Eucharistie* SS. Sacramentum accepit, & die quidem Dominica, quæ vt Martyrologia significât, vel erat dies VIII. Decembris, vel ei certè proxima; è corpore lætus ad eum abiit, qui pro tantis relictis opibus, honore ac dignitate

SAN-

tanta contempta, centuplum ei pro-
miserat, relicto successore, qui Luxo-
uij Monasticen didicerat optimè, *Mar 1*
Adelphio nepote, qui & ipse post trien-
nium mortuus est, die II. Septembris
in eodem Luxouienfi monasterio,
cum eò iam æger, pietatis causa iisset.
Ac primo quidem in B. Virginis o-
ratorio cum S. Amato sepultus Ro-
maricus: Deinde in magnificum S.
Petri templum, quod ultra Mosellam
hodie visitur, translatus fuit. Cum e-
nim barbara & ingens *Hunnorum* *M. S.*
multitudo partes eas, vti & alias com-
plures depopularetur, in sancti quo-
que *Romarici* cœnobia tam virorum *an. D.*
quam virginum desequit admodum. *904.*
Sed postea consilio & prudētia *Theo-* *M. S.*
dorici Syndici, liberalitate verò ac *4. c. 4.*
munificentia *Ludouici tertij* peram-
plum vnum, quo virgines simul o- *At 87*
mnes caperentur, ultra Mosellam *regua*
augusto cum templo, quod S. Petri *bat.*
dicitur, exstructum fuit cœnobium:
& in hoc religiose translata simul

Sanctorum *Romarici, Amati, & Adelphi*
reliquiæ die 17. Maij sub annum Do-
mini 910. præfente Tullensi Episcopo
Drogone, & postea rursus, maiore
adhuc auctoritate, iidem in Diuorū
catalogum relati, & honore sanctis
debito affecti per *Leonem IX.* Pontifi-
cem, cum *Tullum* venisset, & *Vdonem*
Tullensis Ecclesiæ primicerium eam
ad rem in cœnobium istud misisset.
Et ex eo tempore per varias rerum
temporumque vicissitudines mansit
ad hodiernum vsq; diem antiquita-
te, virginumque nobilium frequen-
tia & insigni opulencia inclytum il-
lud cœnobium, opido auctum & cin-
ctum, quod à Sancto ipso, *Romarici*
mans appellatur, cui per eiusdem san-
cti, eiusdemque Magistri S. *Amati*, &
Nepotis B. *Adelphi* preces, sancta &
fausta precor à Deo omnia.

G. P. F. S. S.
Amen.

NO-

R II
35